



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

vers. 9.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

Verba ani-
mum fere-
nant.

Et nouit, ut dictum est, quid nobis sit necesse antequam petamus ab eo? Primum hic respondetur, non verbis nos agere debere apud DEVM, ut impetremus quod volumus, sed rebus quas animo gerimus, & intentione cogitationis cum dilectione pura & simplici affectu. Sed res ipsas verbis nos docuisse Dominum nostrum, quibus memoria mandatis eas ad tempus orandi recor daremur. Sed rursus quæritur potest, siue rebus siue verbis orandum sit, si quid opus sit ipsa oratione, si Deus iam nouit quid nobis necessarium sit: nisi quia ipsa orationis intentio cor nostrum serenât & purgat, capaciūq; efficit ad excipiendā diuinā munera, quæ spiritualiter nobis infunduntur. Non enim ambitione precum nos exaudiat Deus, qui semper paratus nobis dare suam lucem, non visibilem sed intelligibilem & spiritalem, Sed nos non semper parati sumus accipere, cum inclinamur in alia, & rerum temporalium cupiditate tenebramur. Fit ergo in oratione conuersio cordis ad eum qui semper dare paratus est, si nos capiamus quod dederit: & in ipsa conuersione, purgatio interioris oculi, cum excluduntur ea quæ temporaliter cupiebantur, ut acies cordis simplicis ferre possit simplicem lucem diuinitus sine ullo occasu aut immutatione fulgentem: nec solum ferre sed etiam manere in illa, non tantum sine molestia, sed etiam cum ineffabili gaudio, quo vere ac sinceriter beata vita perficitur.

§. 2. Eo maxime Deus exigit orationem, ut sine ea dare nolit, illa quæ nobis præparauit; ut scilicet eum verum omnium datorem, seruatoreūque cognoscamus, ab eo omni in re pendeamus: sciamus omnes omnino, & pauperes, & reges regum altam illam portam pulsare mendicos. Modestiam nos docet illa oratio, timore salubri nos admonet mortalitatis, deuotionem accendit.

VERSUS 9.

*Sic ergo vos orabit, Pater noster
qui es in cælis: sanctificetur nomen
tuum.*

QVÆSTIO I.

An bis orare docuit Christus?

§. 1. **L**VCÆ II. 12. Rogatum à discipulis ait; itaque bis explicuisse orandi modum nonnulli censent. Primum discipulis; deinde plebi. Alii discipulos quætionem interposuisse; hoc omittit Matthæum, credibile est, ut eadem in concionibus, ita hic quoque repetiuisse. Orationem enim omnibus semper vſitatam sapius inculcatam fuisse, non est mirum. Verum parui momenti est illa difficultas: nam siue semel duntaxat, siue crebrius, docuerit eam orationem, non magnopere vel ad sensum, vel fructum nostrum facit. Explicatur autem à S. Augustino, Cypriano, aliis.

QVÆSTIO II.

*An verbis illis (Pater noster) prohibeatur oratio
quæ Sancti rogantur?*

§. 1. **A**Rgumentum est cenruriorum Magdeburgensium cent. 1. lib. 1. cap. 4. Christus cum modum orandi suos docet, Deum inuocare docet, non sanctos. non ergo inuocandi. Respondit olim Bellarminus; Christum hoc loco ostendere, quæ sint petenda: non agere de illis à quibus petenda sunt. Et vero in materia orationis omnino vſitata. Potest alia quoque dari, & quidem perspicua solutio. Interrogatum esse dominum de modo orandi Deum, de

cultu religioso, de materia orationis, non autem de eo qui sanctis defertur. A sanctis enim nihil, nisi intercessio petitur. Eadem precum est utrobique materia. Neque enim ad hæc verba omnino astringere nos Deus voluit. Aliæ enim orationes Christianorum exaudite sunt, aliis conceptæ verbis. ut A. Cor. 4. 24. & 7. v. penult. & 8. 15. 16. 17. voluit enim tantum ostendere quas res petere oporteret. Nulla ergo creatura inuocanda est oratione religiosa, sed alia rogari potest, siue viuat in hoc sæculo, siue cum Deo in cælis coniuncta, per eum nostras necessitates agnoscat.

QVÆSTIO III.

*An illis verbis (qui es in cælis) immensitas
Dei tollatur?*

§. 1. **V**ORSTIUS nouarum hæreseon inuentor, pag. 125. Deum ratione substantiæ suæ tantum esse in cælo asserit. Itaque non esse simpliciter actum infinitum. Quod tamen timide omnino defendit, & subterfugia quærit, in Parasceue ad amicam collationem cum clarissimo viro Ioanne Piscatore. Vbi tamen immensitatem, immutabilitatemque Deialio modo, ac viâ impugnat. Quæritur enim modum illum specialem, à Scholasticis doctoribus extra Dei verbum satis audacter ac curiose definitum à Piscatore prorsus omitti. Quo scilicet totam Dei essentiam, seu totam S. Trinitatem, instar atomi, seu puncti, non modo rebus omnibus, sed & singulis etiam vilissimis, dissimulatis, ac minimis realiter immixtam, intineque præsentem esse; & simul tamen prorsus infinitam, & simpliciter illocalem, extrag. res omnes vbiq; diffusam esse statuunt, &c.

Quo loco negat aperit diuinitatem vbiq; præsentem, multis locis ac rebus abesse censet. Deinde noua hæresi ita Dei immensitatem aliquam fatetur, ut tamen in puncto neget esse totam. Quasi alibi possit esse diuinitas, vbi tota non sit; ideoque partes aliquas habeat. Quæ si concedantur, iam Deus ipse negabitur.

Disputauit ille cum orthodoxis, & suis etiam, quæstiones illas; & multas Scripturas esse arbitrat, quæ Deum in cælo supremo habitare testentur. nec hoc modo ut in cælo sit tantum, sed etiam ut neget esse in terra. nam in collat. cum notis Piscat. Imo, inquit, locus à te citatus non obscure negat, Deum in terrâ vere habitare: sicut vel ex sola interrogandi formula pater, quæ Salomon hic vritur: Num Deus habitaret in terra? quasi dicat: Non habitabit in terrâ, quo quidem modo in cælo habitare solet. Hoc ille secundum substantiam intelligit. Hoc quidem orationis dominicæ exordium nihil ad eam hæresin astruendam facit. In cælis Deus esse dicitur, non quod non & in terrâ, & vbiq; sed quod eo loquendi modo maiestatem illius ex palati dignitate demonstrare Scripturâ soleat. Non quod cælis includatur. nam cæli cælorum cum non capiunt, ne dum templum Hierosolymitanum, aut terra. In cælis Patrem nostrum habitare monuit, ut ibi esse hæreditatem nostram, ad quam per adoptionem ius habemus, ostendat. Interim Piscator ipse in notis contra Vorstium Dei non modo immensitatem, sed immutabilitatem, si rem spectas, negat. Hypothesis Vorstiana est. Deum ita substantialiter esse immensum, ut tota substantia sua vbiq; rebus infusus sit: vique non modo vſitata, coniunctim in rebus omnibus, præsens sit, sed & seorsim in singulis, etiam minimis & vilissimis, &c. Immo totam S. Trinitatem, instar atomi vbiq; rebus omnibus, & singulis, essentialiter immixtam esse, &c.

Hanc hypothesein, inquit ille, tanquam curiosam & temerariam omittendam iudico. Verum de immensitate, & quæ

de qua inde sequitur in omnibus rebus praesentia, vide D. Thom. 1. pag. quaestio. 3. atque in eam q. Nostrum de Valentia, Vasquez, Soares, aliosque. Nullo modo Calvinianos, qui ita immensitatem verbo concedunt, ut re ipsa negent: Si enim Deus non est in omnibus rebus, non est immensus, imo ne adesse quidem possit, accedendo enim mutaretur. Vbi enim Deus non est aliquando, ibi esse nunquam potest. Vbi non est totus, ibi omnino nihil est.

VERSUS 10.

Adueniat regnum tuum: Fiat voluntas tua, sicut in caelo, & in terra.

QUESTIO I.

Quod regnum, quae Dei voluntas?

§. 1. DE regno Dei facilis est responsio. Ut enim ipse regnet per gratiam in animis nostris, non regnet peccatum in nostro mortali corpore, oramus. Quin etiam ad caeleste regnum suspiramus, petimusque dissolui, & esse cum Christo. Denique hoc petimus, ut Christus sit regnum, quo in aeternum regnaturus est, perficiatur; & daemon qui est rector, & Princeps tenebrarum harum, penitus dometur. S. Augustinus Serm. in monte, de manifestatione regni interpretatur, quamvis etiam de regno caelesti intelligat.

§. 2. Voluntatem Dei fieri petimus, non modo ut nos per omnia illi obediamus, sed ut nobis omnia contingant, quae Deo statuere visum fuerit. Quemadmodum Christus orabat, non mea, sed tua voluntas fiat. ita Augustinus Serm. in monte. lib. 2. Chrysostomus. homil. 20. Praecipue tamen agitur de voluntate signi, seu praecipis, ut quemadmodum in caelo omnes summa voluntate Deo parent, ita quoque nos faciamus, non carni, sed Deo seruientes ex animo. Mundi voluntatem abdicemus, diuinam scquamur; cum aliqui natura libertatis aulda, diuinam voluntatem ad nostram attrahere, nobisque conformare studemus. Nam 2. Timoth. 2. v. 26. captiuos improbos tenet daemon ad suam voluntatem. Voluntatem autem Dei est sanctificatio nostra. 1. Thess. 4. 3.

§. 3. Hinc apparet grauissimè eos errare, qui Dei voluntatem & praecipuum interdum pugnare affirmant, & praecipere Deum, quae fieri nolit. Disputatur illa quaestio à Vorstio & Piscatore in collat. Theol. 1. 4. Vorstiana est. [Quae autem à nobis fieri vult (Deus) voluntate inabsoluta, ea sapissimè non fiunt: nempe, quoties praecipua ipsius contemnuntur: quippe quae sic à nobis seruari vult, ut simul tamen vel aliter euenire possit. Quo sensu rectè dicitur, Deum ordinariè conuersionem, & pietatem nostram, optare & desiderare; non autem ut sic dixerim, necessitare. Vide Deut. 5. v. 29. Psal. 81. v. 14. Esa. 84. v. 18. Ezech. 33. v. 11. & alibi passim.]

Opponit & regeit Piscator. [Hic primum contrafunditur 1. praecipua Dei, cum voluntate ipsius. De praecipis, inde implicatur contradictio. Nam si Deus vult (proculdubio velle, prae quidem loquendo) à nobis seruari praecipua, fieri aliter non potest, quin illa seruemus; ac proinde Deus non potest simul velle, aliter euenire possit. Tum quod hic dicitur de Dei desiderio, si proprie intelligatur, Deum omnipotentem in hominem impotentem transformari: quasi Deus aliquid desideret, aut velit, quod tamen effectum dare non possit.]

In locis autem hic allegatis, tale desiderium Deo tribuitur per d. Vorstii notam: Excepto loco Ezechielii, qui quidem ad propositum probandum nihil facit. Neque enim ibi dicitur, Deum velle, ut conuertatur impius: sed dicitur, Deum delectari, quum conuertatur impius.]

Equidem grauissimas in his blasphemias contineri Vorstius ostendit, deinde Arminiani, Lutherani & Catholici, adeo ut Vorstius idem queratur iustam occasionem dari Lutheranis & Pontificiis Deum Calvinianum traducendi. Omnino sanè. Si enim praecipua nobis proponit cum voluntate sua pugnantia, non ergo vult nos id facere, quod facere imperat. Cur enim id praecipit, quod fieri nullo modo vult? Praecipit igitur cum voluntate conueniunt: qui enim dixit: Non occides, noluit nos occidere. Sed ita noluit, ut tamen vellet, nos idem liberè nolle. Non enim necessitatem imposuit, sed legem. Itaque non sequitur: Deus praecipua sua vult à nobis seruari, necessariò ergo illa seruamus. Nam liberè à nobis seruari vult, ideo violare possumus: ita enim vult, ut si nos quoque velimus. Quod per voluntatem conditionatam optime Vorstius exponit, hac quidem in re Catholicis consentiens.

Quod ad desiderium, cuius mentionem facit Piscator, attinet, aliud non est, quam voluntas Dei inefficax, & conditionata. Non quia Deus potens non sit, ut id efficiat, quod desiderio optare dicitur: sed quia potentia, & virtutis instabili ut illi vocant, non teueat à peccando, vel impellit ad bene agendum. Sed ita gratia instruit, ut naturam non destruat, voluntatem autem, & ingenuam hominis liberi obedientiam requirat. Si enim caeco motu, & violento voluntates aguntur, nec praemium habet boni operis indeclinabilis necessitas, nec poenam, peccati inenitabilis coactio. Bruti enim instar voluntas ducitur, & trahitur.

§. 4. Piscator in comment. huius loci, voluntatem Dei nobis ait vel generaliter, & indefinite, vel specialiter ac definite reuelari. Generaliter per legem, & Evangelium. Specialiter per euentus, & reuelationes certis hominibus factas. Deinde grauem quaestionem proponit. [Sed grauior exurgit difficultas ex eo, quod Deus in lege sua vetuit omnis generis scelera & flagitia, ac proinde significauit se illa fieri nolle: Quae tamen illa fieri permittit: permittit autem utique non nolens, sed volens: nam si simpliciter ac planè nollet, fieri non permetteret: Cum sit omnipotens ac proinde impedire illa possit. Hinc videri posset, Deum vnam, eandemque rem (puta scelus aliquod) & nolle & velle.]

Huic quaestioni respondet sceleratissimè. [Esti Deus scelera omnia permittit & quidem volens: tamen scelus nullum vult seu approbat, eue delectatur: sed scelera omnia odit ac detestatur. Deinde licet absque impietate dici posse videatur, Deum velle scelera per accidens, & propter aliud, quatenus nimirum inferniunt ipsius gloriae illustrandae: tamen dici pie non potest Deum scelera velle per se & simpliciter, quatenus scelera sunt. Vult enim Deus Angelis & hominibus innotescere & ab illis praedicari suam iustitiam in sceleratorum poenis: Ergo hoc respectu & haec vult quoque scelera ab istis patrari: licet interim ipsa scelera abominetur. Sicut agrotus quispiam à pharmaco aliquo amaro hauriendo, per se quidem abhorret, sed tamen propter aliud, videlicet ob recuperandam sanitatem, bibere illud vult ac bibit. In illo tamen simili hoc est dissimile, quod agrotus alia ratione sanitatem recuperare non potest aut saltem posse non videtur: at Deus gloriam suam iustitiae patefacere posset alia ratione: sed hac ratione patefa-

Thomas Gutz
in
+ Evangelia
Cv
18